



# Disputatio chymico-medica inauguralis de tincturis martialibus

<https://hdl.handle.net/1874/345227>

25.

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO CHYMICO-MEDICA  
IN AVGURALIS,  
DE  
TINCTURIS MARTIALIBUS,  
QUAM,  
FAVENTE DÉO TER OPT. MAX.  
*Ex Auctoritate Magnifici Dn. Rectoris,*  
D. JOHANNIS LEUSDEN,  
Philosophiae Doctoris, & Linguæ Sanctæ in Illustri  
Academia Ultrajectina Professoris Ordinarii,  
NEC NON  
*Amplissimi Senatus Academicus Consensu, & Nobilissima*  
*Facultatis MEDICÆ Decreto,*  
PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in MEDICINA Honoribus, Prærogativis &  
Privilegiis, ritè & legitimè consequendis,  
*Publica Eruditorum disquisitioni sedit.*  
ANDREAS TEUTSCH, SCHAESBURGENSIS,  
SAXO TRANSSYLVANUS.  
*Ad diem XVIII. AUGUSTI, horis locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc xciii.

DISSESTITUD CHIMICOMEDIO  
I A N O E S K A V A

# Лигардия Мартина

ЖИТЬЕ И СОВЕТЫ  
ДЛЯ ПРИЧАСТИЯ

# Лигардия Мартина

ДЛЯ ПРИЧАСТИЯ  
Академии Ученых Окружных

НИЧЕГО НЕ БЫЛО

БЫЛО ВСЕГО ОДНО  
СОВЕТЫ И ПРИЧАСТИЯ  
ПОДАРОК БОГУЩИМ

ПРИЧАСТИЯ, ПОСЛАНОЕ ИМ



Миан Я за гтозъят

Ex Officis Fratrum H. et M. Amstelodami  
Typis G. J. Langenpijn.

DISSERTATIO CHYMICO-MEDICA

INAUGURALIS,

D E

TINCTURIS MARTIALIBUS.

A' 1610. 2900ff.

§. I.



E Tincturis Martialibus acturo id àntete omnia incumbere videtur, ut quid per Tincturas intellectum velim, exponam. Non enim me latet, Tincturarum nomine ea omnia persæpè venire corporum quorundam præparata chymica, quæ colore aliquo insigni dotata sunt, adeoque non novum esse, remedia solida quoque v. g. in forma croci, florum, &c. nonnunquam Tincturas appellari. Sic ipsos Martiales Crocos Tincturas quidam vocant siccas, eò quod seu flavus ille seu subruber seu nigricans illorum color nil aliud esse videatur, quam subtilior ferri, mediantibus igne, aqua, radiis solaribus, salibus aliisque rebus resoluta, & notabili sulphuris Martialis (ceu Tincturarum è Chymicorum sententiâ fontis) parte, exaltata substantia. *Vid. Beguin. Tyrocin. Chym. L. II. Cap. XX.*  
*Et Wedel. Pharmac. Acroam. L. II. Sect. v. Cap. v.*

§. II. Intelligo verò per Tincturas Martiales remedia chymica liquida, coloris exaltati, seu rubicundus is, seu flavus, seu nigricans aliisve fuerit, ex ferro vel chalybe aut horum preparatis mediantibus mensbris diversis, vari etiam generis, vel ignis ope vel sine eo extracta, humani corporis infirmitatibus multis operem auxiliumque ferentia. Quia verò & Tincturarum fucatarum seu apparentium aliqua habenda est ratio, ut verarum indoles eò magis patescat, tribus saltetem verbis de his aliqua addere haud erit incongruum.

§. III. In genere circa Tincturæ vocem sequentia notari velim: (1.) Non opus esse, ut in compositione Tincturarum

#### 4 DISSERTATIO CHYMICO-MEDICA

requiratur semper universi corporis extrabendi centralis resolutio, quam quidam, qui per ignem Philosophi appellari gestiunt, ope Menstrui universalis & solventis cujusdam Catholici alkalhestini, citra corrosionem, citra sui mutationem, resistantiam, sedimentum, (hæc eorum verba sunt) perficere se posse credunt, de quali menstruo Vigani in *Medull. Chym. p. 25.* gloriari videtur: Cum centralis ejusmodi resolutio totius corporis, eo modo qui hic indigitatur, vel plane impossibilis, vel nondum saltem inventa esse videatur. Idque ob corpusculorum mixta constituentium heterogeneitatem in omnibus corporibus obviam, & in uniformem sibiique per omnia similem liquorem nunquam centraliter resolubilem; ut & ob ignoratam adhuc plurimorum corporum, imprimis metallorum generationem veram, principiorumque ea constituentium in minimis suis texturam, adeoque nec investigabilem hucusque eam menstruorum solventium cum corporibus solvendis congruentiam, quæ ad veram & genuinam totius mixti analysis omnino requiritur, si Veterum illi Chymicorum, hodie quoque recepto Canoni, similia nim. similibus solvi, veritas sua constare debet. Adde quod tale solvens esse debet, quale vinculum corporis est, juxta *Horn. Arc. Mos. p. 184:* nihil verò in naturæ sinu tam adhuc obsconditum lateat, quam id, quod unumquodque corpus in minimis suis connectitur, vinculum. (2.) Sufficere plerumque proparandis ad usum Medicum Tincturis eam, quam *Barnerus Chym. Philos. p. 353.* allegat, sulphurum cum salibus solutionem, quanquam ipse h. m. paratas Tincturas non magnificiat. Cum enim maxima plurium corporum efficacia à sale & sulphure dependere merito existimetur, non intelligo, si sulphuris cum sale combinati extractionem ac solutionem legitimam obtinuerimus, quid amplius ad remedii perfectionem requiri possit. Adeoque (3) & eas, de quibus h. l. dicturus sum, Tincturas Martiales, centrales & exactissimas totius corporis Martialis resolutiones non esse, ingenuè confiteor. Quasdam tamen earum (nec enim omnes laudo) Sulphuris & Salis Martialis & reliquorum ejus corpusculorum solutiones, extractiones & exaltationes esse, proinde ad eum finem, quem respectu diversorum corporis nostri symptomatum intendimus, satis habiles ac proportionatas, non unâ ratione ad credendum.

## ASIN AUGURALIS

dendum inducor. (4.) Tincturas Martiales ob partes Martis Sulphureas copiosas easque ab idoneo menstruo nullò negotiò resolubiles, facilè haberri, nec tamen superficiarias esse, sed veras & genuinas quarundam partium, impr. ut dictum est, sulphurearum, solutiones: Cum enim ad Tincturas omnino solutio requiratur, & quæcunque solutiones non sunt, h. e. de particulis mixti nihil participant, Tincturarum nomine indignæ habeantur: ex hoc fundamento Tincturæ Martiales præ omnibus aliorum metallorum Tincturis veræ judicandæ erunt, aut nullæ penitus veræ sunt.

§. IV. Ut igitur justò progrediar ordine, & datâ descriptione ac expositis, quæ in principio monenda videbantur, opus nunc erit, brevem tum ipsius *Martis* subjecti nempe solvendi ac extra-hendi, tum solventium, quæ usitato vocabulo *menstrua* Chymicis audiunt, tractationem subnectere. De *Martis* seu ferri Etymologia, Homonymia & Synonymia parum sollicitus, dico, *Martem* seu *ferrum* esse *corpus metallicum*, *uplurimum in forma minera na-  
rum* & *igne excoctum*, *ignobilis*, *grave*, *durum*, &c. *multo sulphu-  
ra terreo indigesto*, *impuro*, *plurimo quoque sale vitriolaceo fixo*, *cum  
terra alkalina rubescente copiosa & paucissimo mercurio constans*.

§. V. Quod corpus sit metallicum, de eo nemo forsan dubitat. Informa minera nascitur, & ita in Saxonia colore nigro, ad Sylvam Hercyniam rubro, in Insula Elba maris Toscanici, itemque Stiria, Hispania, extus obscurior, intus verò rubicundior, in valle Joachimica Bohemiae ut & in Silesia cœu lapis ruber friabilis, in Norwagia, Suecia, Italia, Germania hinc inde, nec non in Thrazko Transylvaniæ sub nigri cantis magneticci lapidis forma eruitur. Denique quibusdam è Silice vulgari, ut & è terra rubra bolari secernitur. Becherus etiam dubio procul referente Exper. nov. p. 582. è limo & oleo lini Martem non produxit sed separavit. Vid. Schroed. Pharm. Med. Chym. L. III. Cl. II. Cap. XI. & in eum Clav. Hoffmanni. Item Agricola de veter. & nov. metall. L. II. Cap. 14. 15. Referri huc debet minera Martis solaris Hassiacæ, quam Celeb. Wedel. in Ephem. A. N. C. Dec. II. A. I. p. 380. pro Misy Dioscoridis habet, de qua paulò post plura. Nec tamen dubium est, dari ferrum, quod nullâ præente præparatione idoneum sit usibus humanis. Ignobilis dico respectu aliorum me-

## 6 DISSERTATIO CHYMICO-MEDICA

metallorum majori perfectionis & puritatis gradu dotatorum. In sua enim essentia sat est nobile, immo ratione medicamentorum ex eo parabilium multo nobilissimum, & reliqua metalla omnia longo post se intervallo relinquunt. *Gravitatem, duritiam, aliasque proprietates sensus* testantur.

§. VI. Cum verò Martem seu ferrum (perinde ac de reliquis mineralium metallorumque generibus affirmari solet) ex triga molecularum illarum, quæ vulgo principia Chymica nuncupantur, constare affirmo, non defunt alii huic opinioni contradicentes atque existimantes: minimè confugiendum esse ad Chymicorum oracula, qui metalla ex Sale, Sulphure & Mercurio componi affirmant, eaque pro primordiis rerum agnoscunt, cum quid per ambiguas illas voces intellectum velint ipsi ignorare videantur. Ut enim in hac sententia sunt quædam quæ laudem merentur, ita, ubi, quid saniores his vocibus indigitent, expositum fuerit, perspicuum credo evadet, eam ex parte nimis rigorosam esse & intempestivius paulò latam.

§. VII. Quando de principiis corporum naturalium, in specie metallorum loquor, atque ea in Sale, Sulphure ac Mercurio consistere affirmo, observandum est, (1.) sejungendam hic esse materiam primam, in quam unumquodque corpus ultimatè resolvi creditur, & ex qua primitùs omnia coagmentata esse videntur: quin secundam aliquam seu proximam ex prima illa constantem, atque in varia elementorum seu principiorum genera vel moleculas diversas distributam admittere. Videtur enim fortè extra ingenii humani conditionem positum, ut in prima rerum elementa devenire valeamus, judice incomparabili *Morhoffio Epist. de transmut. metall. & Philosopho naturæ practico principia non tam in se summisque suis generibus, quam in ordine ad mixtionem consideranda sunt.* (2.) Cum hæc tria nomino, alia omnia me minimè excludere, sed hæc principiorum secundiorum seu molecularum elementiarum compositarum præcipua esse seu præcipuam in compositione corporum partem sibi vendicare, adeoque *ναῦτις ξερῶν* principia (secundaria nim. ut jam dictum) nominanda. Quod enim terra quoque ad Martem constituendum faciat, infra dicetur. (3.) Ad elementi seu principii hoc sensu accepti naturam forsitan non facere, omnium corporum compositionem

nem

# INAUGURALIS.

nem ingredi, sufficere si multorum. (4.) Neque idcirco solum has moleculas corporum elementa meritò haberi, quod ignis eorum præsentiam in resolutione corporum sèpè manifestet, sed quod & ratione perspici queant, & aliae præparationes, quæ absque igne fiunt, eas nonnunquam quasi indice digito monstrant. Adeoque simul assertum ire, ignem non solum & genuinum semper corporum esse Analystam, quin repertum forsan aliquando iri alium, & sine dubio in rerum natura dari, qui perinde vel melius etiam plurima in corporibus latitantia in apricum sit produciturus, quæ suspicio est *Illustr. Boylei Chym. Scept. p. 26.* (5.) Utut firmiter statuam, massularum harum elementiarum quasdam corporibus mixtis nonnullis ante Analysis per ignem institutam actu & reverà inesse ac in iis inveniri, uti v. g. sal, itemque oleum ceu sulphur quoddam solutum, multis corporibus insunt, & ex iis affusione aquæ, expressione, &c. Haberi possunt; ac exin' non absolutæ veritatis axioma censendum illud *Frid. Hofmanni Clav. Schroed. L. I. c. XI. & Dav. van der Beke in Experim. circ. rer. natur. principia: Principia Chymica & alia elementorum vice habita saltē virtualiter & potentia, planè verd non actu & reipsa mixtis in esse: Non eò tamen audaciæ me processisse ultrò fateor, ut omnes, quæ per ignem producuntur, substantias, eò, quo prodeunt, numerò, eā facie ac figurā mixtis ante inextitisse statuam.* Vid. *du Hamel, Phys. gener. Tr. I. cap. I. conclus. 2. 3.* Quin illud saltē pro explorato haberi censeo, dari in plerisque, si non omnibus mixtis, impr. metallis, tum oleosum quiddam inflammabile, tum humidum aliquod seu fluidum radicale, tum substantiam fixiorem coagulabilem quandam, priora duo substantiarum genera quasi vincentem. Quæ ultima in metallis tantum fixa deprehenditur, in aliis corporibus, animalibus & vegetabilibus diversos firmitudinis suæ gradus admittit. Hanc triadem *Hornius in Arca Mosis* hinc inde sub particularum ramosarum, oblongarum & ruderosarum nominibus exhibit. Videri quoque hoc meretur *Eitmul. Chym. L. II. Sct. I. cap. I.*

§. VIII. His præmonitis, rationi quām maximè consentaneum videtur, ex particulis minutis materiae illius primæ ac universalis corporum omnium, quæ chaos & rudimentum universi fuit, quasdam minutas massulas & quasi racemos suis associatas,

## § DISSERTATIO CHYMICO-MEDICA

ciatas, suisque coalitionibus magnam copiam exiguorum ejusmodi primariorum concretorum seu massularum constituisse, quæ in tales particulas quæ eas componebant, non facile queant dissipari, ut habet oculatissimus naturæ scrutator Rob. Boyle Chym. Scept. Prop. 2. Posseque ex maxima parte hujusmodi corporum mixtorum ignis adminiculo vel alio modo actu obtineri, aut ratione etiam investigari determinatum numerum (trium, IV, V, plus, minus) substantiarum, quæ diversas denominationes mereantur, & non incongruè vel principia corporum vel elementa eorum appellari vocative valeant. Vid. Id. l. c. Prop. 3. 4. Ut hinc appareat Celeb. Boyleum illi equidem sententiae contrariari, quæ principia Chymica pro elementis primis, universalissimis, solisque omnium corporum naturalium venditat, quam nec ego meam facio; E contrario huc illum propensiorem esse, quando Sal, Sulphur & Mercurius principia concreta compositaque ac secundaria, moleculæ item ex principiis sese adhuc prioribus ortæ, neque sola absque aliis, elementa corporum constituticia salutantur.

§. IX. Nempe, ut, quām fieri potest, explicatissima quæ dixi, evadant, sequenti modo res haud male exponi posse videatur, dicendo, Deum in Creationis principio, eam quæ toti mundo constituendo sufficeret, produxisse particularum multitudinem & quidem in triplici differentia, ad eum modum, quō Renatus des Cartes ejusque luculentus interpres *Ant. le Grand Institut. Philos. P. IV. cap. VI.* sua concipiunt elementa, *materiam putam subtillem*, tum *globulos ethereos & partes striatas ac ramosas* diversissimarum nec facile determinabilium figurarum. Ex ultimis hisce particulis alias cum aliis combinasse & sic seu certa quædam *semina*, quæ vox *Gassendo* placet, vid. ejus *L. III. Phys. cap. VIII. Sect. I. p. 280.* Seu potius juxta Boyleum *massas & moleculas* constituisse. Neque tamen hoc ita accipendum, quasi Deus minima ista primū produxerit, deinde verò ex eorum combinatione majora atque majora corpora condiderit; sed quod materiam in ejusmodi massulas exsolubilem condendo, has illi quasi concrebarit. Perinde verò est, seu *massas & miscibilia* seu *principia* seu *elementa* has moleculas voces. Quot verò & quænam in hunc censum venire debeant, ratio experimentis chymicis adjuta vel demonstravit  
haec.

haec tenus vel saltem indigitavit. Vid. Excell. *Dn. Röschelii Prof.*  
*Witteberg. Coll. Phys. MS. Cap. II.*

§. X. Mihi sufficient h. l. ea, quæ multorum eruditorum consensu si non sola, præcipua tamen mixtorum constitutiva salutantur, numero quintuplices è tertio Cartesii elemento secretæ moleculæ, Sulphureæ, Mercuriales, Salinæ, Terreæ, Aqueæ seu phlegmaticæ. *Sulphur* in mixtis id est, quod ob pinguedinem suam & viscositatem inflammari &flammam alere potest, imò planè illud, quod ignem sublunarem vocare solemus, in toto orbe terraquo dispersum, qui pro majori minorive copia, itemque modificatione varia nunc vitalis & conservativus, nunc mortificans & destructivus est, causa caloris, odoris, colorum (materialis) inflammabilitatisque, quod insuper digestionem, matritatem, dulcedinem, aliasque virtutes perfectivas corporibus & vegetabili potissimum regno conciliat. Quod de coloribus dixi, ad reales referendum est, intentionales enim sola radiorum luminis modificatio & refractio efficit, imò ad reales efficiendos quoque multum confert, variat enim eos provarietate particularum radios variè reflectentium. Dulcedinem verò etenim potissimum corporibus Sulphur conciliat, quatenus particulas Salinas, quæ alias ordinariè causa saporum habentur, & præprimis acidas, ligat, eorum acuta spicula linguam ingrato sensu afficientia lentore suo obtundit, & h. m. delicatum ejusmodi gustum excitat. Et quanquam ipsa Sulphura tantum non semper acido cùdiam maritata deprehendantur, illud tamen non de eorum, sed de sa- lium est essentia, contra quam statuit *Barnerus Chym. Philos. p. 37.* (qui tamen si rem ita explicet, ut putet, Sulphur in acido tanquam subiecto suo consistere & sedem figere, videtur esse excusandus.) nec non *Ettmüll. Chym. L. I. Sezt. III. C. I. p. 55.* *Mercurius* id significat, quod fluorem, humiditatem, evaporabilitatem, expansionem inducit, & simul vehiculum Salis & Sulphuris est ac principium inconstantiae. A phlegmate volatilitate & activitate sua differt. Defectu ariditatem & emarcescientiam, copiâ dissolutionem corporum inducere potest. *Sal* coagulationis principium est & semper concrescit, ubi sui juris est. Est verò & solutionis principium quadantenus, ubi convenienti liquori jungitur. Proprietates ejus sunt compactio & soliditas, incor-

## 10 DISSERTATIO CHYMICO-MEDICA

ruptibilitas, coagulatio & lapidescentia, & quæ plura hujusmodi habentur. Exserit verò se, Sulphuri & Mercurio vel saltem phlegmatijunctum. Fons præterea & scaturigo saporum est, & principium figuraionis, sed non nisi solutum sapit. Phlegma humidum est solutionem promovens & soluta conjungens, Sulphure & Sale, adeoque odore, colore, sapore per se destitutum, idem omnino, quod Peripateticorum Aqua. Terra soliditati corporum inservit, per se alias elementum ferè iners, siccum, solidum, grave, immobile. *Conf. Sturmii Phys. Concil. Part. spec. Sect. prior. Cap. v. p. 132. B. Sperling. Institut. Phys. L. v. Cap. IV. p. 853.* Absit verò ut has qualescumque istorum principiorum descriptiones pro definitionibus veris venditare præsumiam, iis interea contentus, dum meliores in apricum prodeant. Illud quoque iterum moneo, hæc principia tribus illis Cartesii elementis haud opponi sed subordinari. Peripateticorum vero IV Elementa adferre minùs necessarium videtur, cum ignem illorum, nostrum Sulphur esse jam dictum sit, aër vero nil nisi æther seu secundum elementum intermixtum primo, & effluviis globi terrauei repletum meritò salutandum, terra demum & aqua ipsorum ea reipsa sint, quæ terram & phlegma nuncupavi.

§. XI. Perfacile nunc cognitu erit, iisdem ferrum nostrum constare elementis, quæ in descriptione sunt allata. Sulphur inesse tum exinde constat, quod incandescere vehementer ac diu candere, tumque cum candet, fætido odore, impuritatis sulphureæ indice aërem inficere soleat; tum quod in crocos facillimo negotio convertatur, croci vero juxta verissimum *Wedelii Pb. Acroam. p. 285.* effatum, sint pulveres Sulphureo-terrei, metallorum ejusmodi Sulphure præditorum. Accedit quod alli- sione ferri unius ad aliud ignis sub scintillarum figura prodeat. Mercurium præsentem in ferro fusilitas & ductilitas arguit, eum verò paucissimum valdeque dispersum, quod difficulter fundi queat. Sal Vitriolaceum arguant, stipticus ejusdem sapor, tum ipsa quæ Sali debetur consistentia, nec non ea quæ Chymici inde eliciunt, Saliū genera. Terram alcalinam prodit effervescentia fortissima, ab affuso limaturæ Martis spiritu acido exsurgens, tum etiam soliditas & cohæsio partium firmissima, ob quam & ignis vim aliquandiu illudit.

§. XII. De

# I N A U G U R A L I S.

II

§. XII. De Chalybe non est quod tnoneam, is enim à ferro non nisi puritatis & duritici gradu differt, dum nempe vel in ipsis terræ visceribus præ ferro melius excoctus invenitur, cuiusmodi nativum chalybem Claufthaliae apud Dn. Car. Zumben Rei fusoriæ illic Inspectorem, Fautorem & Amicum honorandum vidi; vel, quod ut plurimum fit, ignis ope & mediantribus quibusdam additamentis à partibus terrestribus & impurioribus, scoriarum facie secedentibus liberatur, & sic durior puriorque redditur. Unde elegantur Georg. Agricola Tr. de vet. & nov. Metall. Cap. VII. ferri σόμουα, quasi ferrum, exclusis scoriis crassioribus quoad minima sua magis unitum & ferruminatum audit. Videri possunt Rolf. Diff. de Marte, & Clav. Schroed. Hoffman. Cap. de ferro: ut & Vigani Medull. Chym. p. 53. qui chalybi præ ferro virtutem aperientem tribuit. De minera Martis solari tunc pauca addam, ubi ad ejus Tincturam peruentum fuerit.

§. XIII. Menstrua parandarum Tincturarum Martialium non unius sunt generis. *Insipida* primo stant loco, & inter hæc aqua simplex, quæ mediante clave salino apta nata est ex Marte Tincturam extrahere. Hanc sequitur aqua roris majalis destillata, vel etiam rosmajalis in aquam collectus simplex. Reliqua commodissimè pro Salium diversitate in alkalis, acida & media dispescuntur. Ex alkalinis pauca pro Marte solvendo & extrahendo accersuntur, cum exiguum vel planè nullum jus in Martem habeant, & in terram ejus continentem agere non valeant, Sulphur vero ochreum seu acido-terreum Martis acidis impr. lenibus promptè obtemperet. Menstruum alkalicum volatile est spiritus Salis ammoniaci, qui tamen magis ex Marte Salibus prius resoluto Tincturam extrahit. Fixum est liquor Silicum Glauberi, si cum Tartaro calcinando & in cella deliquando paratus fuerit.

§. XIV. Acidorum aliquot sunt classes. Quædam enim defumuntur ex Regno minerali & sunt *Spiritus Corrosivi*, v. g. Vitid. æris, Veneris, Nitri, Vitroli, qui Martem equidem in minimas particulas discerpunt, ad usum tamen medicum non perinde aptum reddunt. Præterquam enim, quod acido suo corrosivo (in quibusdam nauseofacientibus) nunquam ferè in totum eluendo, Martem inficiant; eâ quoque virtute, ob quam medicamenta Martialia omnibus expetuntur, ferrum exuunt, & vim absorpti-

12 DISSERTATIO CHYMICO-MEDICA

vam ei magnam partem eripiunt, Sulphur enim obtundunt & terram alkalinam saturant, quod ex modo agendi Martis in corpore humano non potest non esse quam clarissimum. Optimus tamen ex his est Spir. Nitri, qui, ut postmodum dicetur, cum Marte effectu non contemnendo maritatur. *Alia acida* ex vegetabilibus desumuntur, & sunt vel *spiritus aciduli*, v. g. *panis*, qui ex Marte *Tincturam* elegantem producit, *Spir. mellis*, *Sacchari*, &c. Vel *succi acidi*, quo primum allegare lubet *Aceta*. Hæc utut acido non ita potenti polleant ac *Spiritus Minerale*s allegati, nimis tamen & ipsa Martem satiant, ut per pauca absorbendi virtus in Marte per acetum parato relinquatur. Sitamen id cuiquam arriserit, destillari prius & h. m. tum ab impuris terrestribus, tum a superfluis acidis particulis liberari potest. E reliquis *Succus Tamarindorum* non admodum est usitatus, nec ad reliquorum virtutem accedit. *Citri* verò & *Berberum* expressi *Succi*, quod & ipsi adhuc acido potenti, adeoque Martialis virtutis destruktivo polleant, & temperatiora sint ad manus, mihi non æquè ad palatum sunt.

§. XV. *Temperata* verò in parandis *Tincturis* Martialis magnam laudem merita sunt *Succus Acetosa*, *Sucei* it. *Pomorum*, imprimis *Borsdorffianorum*, *Cydoniorum*, *Cerasorum* *nigrorum dulcium*. Hi virtute activis illis longè præalent, intimè se cum Marte miscent, eumque solubilem relinquunt. Sunt nempe particulae eorum blandè scindentes & acuminatae adeoque penetrandi vim habentes, & præ omnibus aliis, poris ferri, & præpr. Sulphuris ejusdem conformatio*n*i intima valde proportionatae, adeoque & veram ejus *Tincturam*, quæ Sulphuris cum Sale resolutio est, commodissime largiuntur. *Succus Cydoniorum* speciatim singularem cum Marte analogiam possidere videtur, quia & adstringit blandè, & ob acorem dulcedini intimè permixtum laxat stomachoque gratissimus est. His vegetabilium Succis alii quoque pro cuiusvis lubitu & morborum circumstantiis, modò parili virtute gaudeant, substitui possunt.

§. XVI. Ad media *Vinum* pertinet, quocum, si satis generosum, v. g. *Malvaticum* fuerit, & acido leni tartareo penetrante donatum, elegantes *Tincturæ* Martiales confiunt. Cum vino verò ἀλιγοφόρῳ ne laborem quidem tentes, fit enim

enim tunc ut vinum acescat, mucescat & corrumpatur, Marte intacto. Tunc ipse *Vini Spiritus* huc facit, qui quidem ex Marte sibi relicto quicquam extrahere nequit, si tamen iste prius per salia reclusus, vel jam mediante alio menstruo in *Tincturæ* (saturatæ v.g. ad modum *Syrupi*) formam redactus sit, egre-  
giè quod antea solvere & extrahere non poterat, transsumit,  
exaltat, & quasi condimenti loco est. Nisi enim *Tincturas*  
Martis cum succis allegatis paratas, per spirit. vini conservatio-  
ni idoneas reddas, ætatem non facile ferunt. Potest vero  
Spir. vini pro varia intentione non tam simplex, quam her-  
barum quarundam, v.g. antiscorbuticarum, aperientium, &c.  
virtutibus mediante destillatione imprægnatus, ut sic efficacius  
remedium obtinas, assumi.

§. XVII. Illud non erat omittendum, *Aërem ipsum* quan-  
doque menstrui solventis vicem tueri, quod in liquore Martis  
ex relicta in cucurbitæ fundo à præparatione Flor. salis Am-  
mon. Martial. Massa in aëre libero deliquata, manifestum  
evadit. Inesse enim reverà aëri menstruales virtutes, easque  
tum à sale ejus nitroso penetrantissimo, tum ab humiditate ex  
effluviis vaporosis orta pendere, probatione non eger. Vid.  
Barnerus l. cit. P. 1. Cap. VII. p. 101. sq. & Nobiliss. Bohnius  
Dissert. de Aëris in sublun. influx. cap. III.

§. XVIII. De iis quæ vel Martem recludendi, adeoque  
solutioni aptiorem reddendi gratia adduntur, qualia sunt salia  
diversa, Ammon. Crystall. & Sal tartari, Arcan. Tart. Tartarus  
ipse, Sal essent. vini Zwelfferi; vel *Tincturas* ipsas magis com-  
positas reddunt, quò faciunt Essent. Lig. Aloes, Absynt. Sacchar.  
saturni, Vitriol. Martis, (quatenus magis vitriolicæ est origi-  
nis) hic non est ulterior dicendi locus.

§. XIX. Ordo nunc postulat, ut *Tincturarum Martialis-*  
um compositiones præcipuas producam, & quid de illis ha-  
bendum sit, mentem meam exponam. Sunt verò sequentes:  
*Tinctura Martis aperiens Tartarisata*, fit Limaturæ Proc. I.  
Martis & Tartari crudi partes anaticas cum aquæ font. q. f.  
coquendo in lebete ferreo per 6. vel 7. horas, dum liquor ni-  
grefcat, & hunc à Tartaro subsidente decantando, residuo  
tartaro aquam reaffundendo, iterumque coquendo, & h. m. IV

## 14 DISSERTATIO CHYMICO-MEDICA

continuando, dum liquor nil amplius extrahat; postmodò tinctum liquorem ad medieratem exhalando. *Rölf. Chym.* p. 218. Huic Tincturæ utut vis aperiendi à Marte pariter & Tartaro dependens denegari non possit, certum tamen est, eam valde segnem esse & stomachum simul gravare ac idcirco minus usitatam.

- II. *Corrigit eam Celeb. Ludovici Phar. mod. secul. applic. p. 424. sq.* ad mellis formam inspissando, ac acetum deitill. superfundendo, & obtinet liquorem Matris jucundum, Tartaro in fundo remanente. Quæ Correctio sat bona esset, nisi Martem particulis absorbentibus ei adhuc relictis magis privaret. *Le Mort Chym. p. 342.* *Tincturam aperientem* parat Crystall. Tartari ʒ viij. Limat. Mart. ʒ iiij. cum aquæ comm. q. s. coquendo per 3. vel 4. horas, materiam semper agitando & aquam evaporatam aliâ affusâ compensando, dum tinctura fuerit extracta, hanc evaporando ad siccitatem, sed cautè, ne aduratur, hujus pulveris ʒ iij cum spir. vini ʒ x. digerendo in BM. denique clarum à spissâ separando. *Ejusdem generis est sequens*, quam citatus modò Ludov. reliquis præfert: Vitrioh Martis & Tartari depurati an. v. g. lb. β. in aquæ simpl. v. g. lb. vi. coquit, interque agitationem lente exhalare sinit ad mellis consistentiam, quod coagulum spir. vini lb. vi. extrahit, ac post filtraturam parum vel nihil abstrahit. Quæ etiam satis elegans est, de Marte tamen parum possidet, cum Vitriolum martis non tam martialis quam vitriolicæ sit originis, adeoque merè salina est & Tincturæ nomine ferè indigna, quibusdam tamen in morbis haud inutilis. His Tincturis congeneres aliæ sunt, quæ reclusis per Tartarum Martis particulis quibusdam in Vitriolo Mart. hærentibus, parantur. Talis est *Tinctura Matris aperitiva* quam exhibet Rolfinc. in Chym. p. 219. paraturque ex Vitriolo Mart. non calcinato & Tart. terra soliat. ana miscendo & in cella deliquando, liquori spir. vini assundendo. *Hanc Wedel. l. c. viâ humida* parare docet, instillando Arcano Tart. liquido liquoris Mart. gutt. aliquot ad sufficientem Tincturam, quæ sanè & compendiosior & viribus priori æquiparanda est, VII. præsertim si *diffusor* expetatur, & aquâ sim. vel roris majal. <sup>1103</sup> juxta

juxta ejusd. Wed. monitum, vel etiam Spiritu vini, tertium  
quasi ingrēdiens constitente, talis reddatur. De Rofincii mo-  
do id quod deprioribus judicandum, ut & de sequenti *quam VIII.*  
*conficit Febure im Chymischen Kleinod p. 614.* ex Vitriolo  
Mart. & sale Tart. ana in mortario ferreo in pollinem redigen-  
do & in aëre libero deliquando. Qui liquor ut pote crudior  
ab Hoffman. Diss. de Medicam. Martial. p. 44. cum Spir. ve-  
neris & vini tartaris. processu admodum tædioſo & ventriculo  
minus commodo, corrigitur. Huc pertinet *Tinctura Mar-* IX.  
*tis vera Zwelfferi Mantiss. pag. p. 337.* quæ sit in salis essen-  
tialis vini (ſeu arcani aut terræ fol. tartari) ſix. super ignem blan-  
dum liquatis immergendo Vitrioli Mart. ſix. postquam frige-  
facta ſunt, contundendo, expansa deinde in aprico per ali-  
quot dies relinquendo, ut efflorescat materia, hinc cum Spir.  
vni Cinnamomis. vel Aqua Cinnam. Tincturam extrahendo. Quæ  
non potest non esse elegans, jucundi ſaporis, virtutis etiam  
aperitivæ non contempnendæ. vid. Lud. Ph. mod. p. 424. Huc  
trahenda quoque peculiariſ *Mannæ Martis* descriptio, X.  
quam habet Hoffman. Clav. Schroed. p. 231. ſq. incoquendo Vi-  
triolum Martis cum liquore ſilic. Glauberi. Hinc materiam  
in cella deliquando & cum spir. vini extrahendo Tincturam.  
Reliqui processus ſub Mannæ Martis nomine attendi haud me-  
rentur. Habetur quoque *Essentia Vitrioli Martis simplex*, XI.  
cum ſpiritu vini extracta.

§. XX. At hæ omnes cum vitriolo Martis paratæ Tinctu-  
ræ, cum dicto vitriolo unicè efficaciam suam, quæ Martialis  
effe debebat, ferant acceptam, & vero Vitriol. Mart. parum  
& ſæpè nihil de genuino Martis ſulphure poffideat respectu ſa-  
lium quibus conſtant, laudandæ equidem ſunt, & effectu  
non nunquam optato ſe commendant, virtutem tamen aperi-  
tivam planè aliam, quam quæ à Marte expectatur, poffident.  
Aperiunt enim non tam absorbendo acidum acre in corpore,  
quam laxando villos intestinorum & stimulando, cum Martis  
genuina producta hoc ipsum absorbendo & invertendo, ſicque  
fontem mali evehendo, faciant. Unde nec indiscriminatim in  
omnibus morbis, quibus Martilia debentur, tutò adhiberi  
poſſunt.

## 16 DISSERTATIO CHYMICO-MEDICA

possunt. Addendum & id, quod ob naturam vitriolicam nau-  
seam facilè excitare possint, & in stomacho ingratam sensatio-  
nem producere, quod in delicatis cautè observandum est. Ipse  
Zwelfferus de dosi harum Tincturarum admodum est sollicitus,  
additâ cautelâ, ne nauseam excitent, & h. m. noceant.

**XII.** §. XXI. Iis igitur palmarum jure dubiam reddit, *Essentia Vitrioli Martis Composita*, quæ fit ex anatica Vitrioli Marriti & Florum Salis Ammon. Martialis parte in Spiritus vini rectificati vel Spir. Cochlear. s. q. soluta. Colore croceo admodum eleganti se commendat hæc Tinctura, & quanquam ipsa quoque magnam partem salina sit, sal tamen ipsum non tam acidum vel enixum quam alkalimum volatile est, adeoque acrimonie acidæ destruendæ planè idoneum; sulphure quoque Martis subtilissimo, quod in Flor. salis Ammon. Mart. est transplantatum, haud paucò pollet. Unde satis potens est acidi absorptivum & in scorbuticis humoribus corrigendis magni-

**XIII.** usus. Simplicior est nec tam efficax & tantum fixa *Tinctura Martis aperiens Minsichti*, quam habet Rolf. i.e. & veram vocat, paratque, residuum à sublimat. Flor. sal. Ammon. Mart. edulcando, spiritum vini superfundendo, Tincturam extra-  
hendo, eamque ad medias evaporando. In quo proceſsu id impr. culpandum est, quod optima spiritus vini pars in auras abigatur per evaporationem, relictâ acidâ crassiori. Hanc

**XIV.** eadē p. cit. auct. exhibita *Tinctura ex scorii Regul.*

**XV.** Antim. Mart. æmulatur. *Tinctura Martis Willisi*, quam cum spiritu vini, recluso prius Marte per Cremor. Tartari, conciliat. Eam Vigani obscurius proponit, dicendo eam confici ex cadavere vini & limat. Martis in aqua frigida, mediante mixtione & fermentatione bis aut ter repetitâ, additâ hu-

**XVI.** meditate. *Medull. Chym. p. 17. 18. Liquor Martis niger* è remanente in cucurbitæ fundo post sublimatos Flor. salis Ammon. Mart. massa in aëre libero per deliquum paratus, *Rolfinco Chym. p. 219. Tinctura Martis adstringens* dictus. Quæ præparatio, si aliqua, vera vitrioli martialis solutio est, & effe-  
ctus in humano corpore commendatissimi. Hujus liquoris exi-  
guæ portio vegetabilium quasdam Tincturas in momento co-  
lore

## INAUGURALIS

17

lore nigerrimo vestire solet, unde si Essentia Ligni Aloës jun-  
gatur, *Tinctura Martis Balsamica*, si Essentia Absynthii XVII.  
simp. vel compos. exsurgit *Tinctura Martis Absynthiaca*, XVIII.  
ad eum modum, quem Excell. Wedel. Pharm. Acroam. p. 515.  
indigitavit. Ex Floribus salis Ammon. Martialibus solis cum  
spiritu vini rectif. fit *Tinctura Martis volatilis*, quam XIX.  
Zweffer. Mant. Spag. p. 339. ex iisdem floribus cum alkool vini ro-  
fato paratam *Sedativum Archei* vocat. vid. quoque *Auctor Chym.* XX.  
*rational.* P. T. p. 42. 43. Wedelius tamen spiritum salis Ammon,  
cum liquore Martis miscendo processum variat. Clodius Officin.  
chym. p. 60. *Tincturam suam rubineam* h. m. parat: Croci XXI.  
Martis subtilissimi p. j. cum Flor. salis Ammon. p.  $\frac{1}{2}$  sublimat  
& flores sublimatos rubros spiritu vini rectif. extrahit, filtrat,  
putrefacit, hinc spiritum vini abstrahit. Qui processus sat  
bonus est, si putrefactio omittatur, & spiritus vini nullus vel  
paucus abstrahatur. *Tinctura antiphthisica Gramanni*, XXII.  
quatenus Vitriolo Martis multum debet, considerari h. l. me-  
retur. Fit v. omnium optimè vel ex sacchari saturni & vitrioli XXIII.  
Mart. ana 3ij. vel illius 3ij. Aceti simplicis vel quod melius, de-  
still. spiritus vini ana 3ij. vel etiam ex Vitrioli Martis 3ij. aceti  
saturnisati saturati 3ij. spiritus vini q. s. cum & via humidâ pa- XXIV.  
rari possit ex vitriolo nempe Martis liquido & saccharo saturni  
fluido solis, vel aceto & spiritu vini, aut spir. vini solo ad-  
dito.

§. XXII. Mediantibus spiritibus acidis ex regno minerali de-  
sumptis parantur *Tinctura Martis adstringens* à Zwelffero XXV.  
*Append. ad Animadv. in Phar. Aug. p. 60. 61. & Le Febure l. c. p. 613.*  
it. Hoffman. Clav. Schræd. p. 230. descripta. Fit Martem mediante  
spiritu Veneris aut Virid. æris iteratâ affusione (aspercionem  
alii malunt) in crocum vertendo, hunc cum eodem spiritu in  
*Tincturam* extrahendo, spiritum abstrahendo ad remanenti-  
am materiæ syrupiformis, ultimò cum spiritu vini evocando  
*Tincturam*, & tertiam ejus partem abstrahendo. Eodem Ve-  
neris spiritu mediante Zwelff. Mant. spag. p. 337. ex croco Martis  
cachectico (qui limat. Martis per nitrum detonata & elutriata est)

C

Tin-

18 DISSERTATIO CHYMICO-MEDICA

- XXVI.** *Tincturam* extrahit, spiritum veneris postmodum abstrahit, remanente liquore crassò, quem spir. vini rectif. iterum diluit, huncque ad oleitatis remanentiam evocat. Qui duo processus præterquam quod sint valde tædiosi, martem etiam veneris vitriolo nauseoso imprægnatum relinquent, ejusque vim infringunt.
- XXVII.** magis quam extrahunt vel exaltant. *Essentia Martis aperi-tiva* ejusdem Zwelfferi fit instillatione spir. nitri ʒij. spir. vitrioli ʒij. vel spir. nitri solius super Limat. Martis puræ ʒiv. vel vi. circiter in vitro ampio, agitando semper ne materia nimirum induretur, & antequam compacta fiat, diluendo cum phlegmatis vitrioli sulphurei vel salis Ammon. acidi ʒx. ut acquiratur *Tinctura rubicunda*. Cujus ʒij. si Aquæ cinnam. ʒi. in qua Magister. corall. solub. ʒvi. dissolutæ fuerint, permisceantur,
- XXVIII.** exsurgit ejusdem *Essentia Martis Corallina*, quæ temperatior priori est & tutius adhibetur, cum illa ob spiritus acidos à multis corporibus ferri nequeat. Magisterium vero corallorum, quid ad perfectionem remedii conferre debeat, non admodum video. vid. *App. ad Animadv. in Pharm. Aug.* p. 58. 59.
- XXIX.** Cum his in fundamento convenit *Tinctura Martis antico-lica*, quam Excell. Dn. D. Sperlingius, Praecept. & Patronus meus honoratissimus parare solet, fundendo extempore ante usum spiritum nitri super limatur. Martis ut tingatur, quem postea cum Essent. Carminat. Castor. Absynth. Compos. ac opati miscet, & usurpat in colicis potissimum hypochondriacorum ac scorbuticorum doloribus successu non infelici. vid. *Ejusd.*
- XXX.** *Mater. Med. MS. Cap. de Marte.* Ad eundem modum spiritus nitri dulcis prius super herbas anticolicas vel alias rectificatus cum limatura Martis misceri &c in *Tincturam* redigi potest, vel m. processus cum spiritu nitri dulci institui, ad cuius præparationem spiritus vini herbarum & specierum jam laudatarum viribus mediante destillatione imprægnatus fuit adhibitus.
- XXXI.** *Tinctura Martis Basiliæ* ope spiritus vitrioli à limatura, itemque Schräderi è croco Martis eodem vitrioli spiritu extracta. Priori vires Hoffman. Clav. Schräd. p. 230. multas tribuit, quas tamen non meretur. Videri de istis præparationibus in genere judicium Drawitzii meretur Tract. de scorbuto p. 333.

§. XXIII.

§. XXIII.. Tincturæ cum succis acidis paratæ sunt *Tinctura Martis nigra Rolsincii*, fit limaturam Martis pur. cum aceto vini in marmore terendo, & sensim tinctum acetum vase excipiendo, novumque acetum affundendo & sic continuando, dum nullus color amplius appareat, liquores tintos denique per subsidentiam clarificando. Ad eundem modum se habet, quam *Elsolt. Distillat. Curios. Cap. IV. p. 19.* & *Clodius Offic. Chym. p. 58.* parant *Tincturam*, extrahunt nempe eam è li-

XXXII.

matura chalybis cum aceto destillato iteratis vicibus institutâ novâ affusione. Tinctum liquorem omnem in BM. destillant, residuo Spiritum vini affundunt, quem abstrahunt, iterumque affundunt, hocque sexies repetitô labore multiplicant. *Auctor Chym. ration. jam citatus p. 40.* Talem concinnat, limat. Martis pur. 3ij. XXXIV.

cum Spir. aceti 3ij. in arena igne tamdiu digerit ac urget, dum rubicundus liquor fiat, quem filtrat & reponit. Ab hac nil ferè differt *Essentia Croci Martis*, quam describit *Crollius Basil.* XXXV.

*Chym. p. 441.* nisi quod aciditas ei adimatur. Minoris vero adhuc momenti est ea, quam *J. C. Claudinus App. ad L. de Ingres. ad in-*

XXXVI.

*firm. p. 386.* cum aceto vel vino cretico mediante destillatione conficit, quia nihil omnino de Marte possidet. Plures hujus generis Martis Castrationes verius quam extractiones habentur apud *Schroed. Pharm. Med. Chym. L. III. c. XI.* De quibus tamen omnibus sciendum, quod Martis substantiam fundant quasi & comminuant, porosque ejus immutent planè ac impleant, ut idcirco quem alias Martialis edere solent, effectum aperitivum & absorptivum vix vel nunquam ostendant. Imò ne adstringendi quidem fine cum acidis potentibus Mars parari commodè potest, quia enim acrimoniam acido-salinam à menstruo transsumit, in corpore fibras irritando majores turbas cire potest. Prosunt tamen ejusmodi Tincturæ in ḡyālū bilis præternaturali & aliis humorum commotionibus, quæ nonnunquam acida poscent, v. g. in febre tertiana intermittente, impr. Scorbatica, quales quandoque in paroxysmo cum maculis petechias imitantibus apparent, quas etiam imperiti pro petechiis quandoque venditant, cum tamen maculæ non tantum finito paroxysmo dispareant, sed & ægri die intermissionis è lecto surgere & de

## 20 DISSERTATIO CHYMICO-MEDICA

**XXXVII.** ambulare possint. *Non desunt* qui laminas Martis candeſtas in aceto extinguent ſepiuſ, acetum abſtrahunt ad remanentiam liquoris crassi Marte imprægnati, quem ſpiritu vini extrahunt, & iterum ſpiritum vini, ſed minuſ recte, abſtrahunt.

§. XXIV. *Tincturæ Martiales cum ſuccis acidiusculis vegetabilium confectæ* potiſſimam laudem merentur. Egregiè Excell. Dr. D. Sperlingus l. c. Omnes Tincturæ Martiales cum leni acido (puta vegetabili) paratæ bonæ ſunt & contra. Niſmirum ſucci v. g. cydoniorum, pomorum, acetosæ, cerasorum affuſi limaturæ Martis, aquâ priu à ſordibus ablutæ, ſtent in diſtione caloris ſolis vel ignis leni, moxa agitataque noſinuquâ, donec ſufficienter Tinctura nigerrimi coloris fuerit extracta & pars liquoris circiter dimidia evaporata. Filtrato poſtmodum per linteum reſiduo ſpiritus vini rectificatus ſimplex vel Cochleariae, aut alio modo alteratus pro cujuſvis intentione, additur, & ſic Tincturæ vires exaltantur. Mihi uſitatissima eſt

**XXXVIII.** *Tinctura Martis Cydoniata*, paravi tamen eam quoque

**XXXIX.** *cum ſucco cerasorum nigrorum dulc.* & ſpiritu abſynt. ac nauſtunt. aquat. roboravi. Mollenbroek Tr. de varis Cap. XIII. p. 119. exhibet

**XL.** *Tincturam Martis Drawitii* cum ſucco pomorum Borsdorffianorum & ſpiritu cochleariae factam. Ipſe Drawitius Tr. de ſcorb. p. 335.

**XLI.** *Tincturam ſuam aperitivam* cum ſucco acetosæ parat addito ſpiritu ſumariae (Erdranch enim pro Erdranch legendum eſt) vel faltem paucō ſpiritu vini rectificato. Idem

**XLII.** extractionem cum ſucco cochlear. & nauſtunc. aquat. perficit, quæ tamen magis in fuſi nomine digna eſt. Minsicht & ex eo

**XLIII.** Rolfſincius in Chymia ſucco acetosæ antequam Marti affunditur, Tamarindorum ſuccum jungunt, idque maceratione pulpa tamarindorum vel tamarind. contuſerum/in ſucco acetosæ &

**XLIV.** expressione, ſed præter neceſſitatem. Cum ſpiritu panis quoque Tincturas Martiales parant aliqui ſatis bonas, quas Eimüll. Chym. p. 101. haud immeſitò commendat.

**XLV.** §. XXV. Cum Vino fit eſſentia Martis in vinum Malvaticum implantata Hartmanni Prax. Chym. L. 11. Cap. 169. n. 2. p. 126. likat. Martis cudent. itb. extinguedo ſemel atque iterum in vini Malvatici itb. Vid. Schroed. Pharm. Med. Chym. p. 381. Juxta

Juxta Roff. verò melius limat. Martis tepefactæ tibj. in vini mal-  
vat. tibj. infundendo, per 24. horas & amplius calore leni dige-  
rendo. *Glaeserius Laborat. Chym. L. II. Cap. v. p. 124.* Limat. chaly-  
bis opt. ſiv. in vini rubri mens. I. ad quartæ partis remanentiam  
coquit, liquorem decantat, eum vel ad mellaginem evaporat,  
& gr. XII. pondere exhibet, vel etiam liquorem sibi relictum ad  
3j. propinat, remedium ab usu egregio commendandem, vocat-  
que *Extractum Martis adstringens.* *Extractum verò XLVI.*  
*Martis aperitivum* idem præparat limat. chalybis tibj. in *XLVII.*  
musti recentis mens. VIII. infundendo, & per ſequimensem in  
ſole digerendo, ſæpè agitando, liquorem tintum filtrando, &  
ad formam extracti evaporando. Quæ compositio auctoris expe-  
rientissimi, laude dignissima eſt, exhibet enim Martem legitime  
extractum, jucundiſaporis & effectus non contemnendi. *Vina XLVIII*  
*chalybeata* simpliciſſimo modo parata, nudâ nempe iuſuſione,  
Tincturarum equidem nomen non merentur, dignatamen quo-  
rum mentio fiat, utpote quæ ſæpè convenientibus aliis simpli-  
cibus maritata cachexiam, febres quartanas, aliosque morbos  
chronicos feliciter extirpant. *Aquarum chalybeatarum & lacticis cha-  
lybeati* mentionem facere non eſt operæ pretium, debiles enim  
ſunt & ſtomachum facile offendunt, unde hodie ferè exoleve-  
runt, Tincturarum verò nomen eis attribui neutiquam potest.

§. XXVI. *Tincturæ Martis Solaris* mentio adhuc fa- *XLIX.*  
cienda eſt, ubi prius pauca de ipsa minera fuerint præmilla.  
Dicitur illa Terra Hassiaca, à loco natali Germanicæ Provin-  
cia & minera Martis solaris. Eſt verò nil aliud, quam rudi-  
mentum quoddam ferri, terra nempe sulphure & ſale vitrioli-  
co magis acido, quam quod in Marte eſt, copioſe imprægnata.  
Particulæ verò hæc intimius ſunt commixtae, quod minera durif-  
fima ſit, & non facile menstruis, niſi prius ab aëre facta diſgre-  
gatione particularum, obtemperet. *B. Thile Prof. Med. Wüneberg. in*  
*Dift. de hac conscripta ſal aëreum nitroſum ei tribuit, ex eo*  
*quod tam promptè ab aëre, in quo conſimile ſolvens ſupponit,*  
*diſcerpatur.* *Tinctura* exinde eſt, ſi mineræ vel integræ vel  
priùs tritæ aëri expositæ & hinc friabilis redditæ apparente ſi-  
mul lanugine Vitriolica ſeu ſale vitriolico-martiali, affundas

## 22 DISSERTATIO CHYMICO-MEDICA

aquam roris majalis vel pluvialem destillatam vel florum acaciae aut liquorem betulae, perinde enim est, ad eminentiam 3. digitorum, vas probè claudendo, tum cinerum vel arenæ digestioni lentæ committendo, quoad Tinctura aurei, interdum rubinei coloris extrahatur, quam filtratam servabis usui. Hanc Landatus Thile acidulas artificiales appellat, quod in naturalium locum substitui possint, ipso judice, illis etiam longè præstent. Dosis in adultis conceditur à gutt. 30 ad 3j. 3ij. imo 3iiij. quam tamen utpote nimiam prudens medicus non facile concederet, cum enim vitriolo copioso dicta Tinctura polleat, non potest non in majori dosi exhibita stomachi fibras yellicare, motum eorum naturalem invertere, & sic nauseam imò vomitum excitare, ad 3iiij. tamen vel 3j. ad summum exhibita non facilè nocet, licet rectius cum spiritu cochleariae vel alio appropriato, tum ut vires augeantur, tum ut conservetur diutius, miscentur. Plura vid. ap. cit. D. Thile & Hoffm. Clav. Schroed. p. 139.

§. XXVII. Denique illud est attexendum, uti aliorum metallorum, ita etiam Martis dari Tincturas apparentes & fucatas, quando nimirum color vel menstruo Tincturam talem in se continent, & per digestionem prodenti, vel admixto cuidam alteri minerali aut metallo debetur. Duarum saltem hue facientium Tincturarum brevitatis gratia mentionem injiciam. Pri-

L. ma est ea quam *Balsamum Martis* vocant & oleis conficiunt. Cum enim olea spiculis salinis ad resolvendam Martis substantiam non perinde proportionatis gaudeant, color ille

LI. potius oleis per digestionem exaltatis est tribuendus. Altera, quæ è marte, cui veneris particulæ commixtæ sunt, obtinetur, mediante spiritu salis ammoniaci, colore sapphirino elegansissimo conspicua. Quæ nisi successu temporis sapore nauseoso ei planè simili qui è Venere & Luna procedit, sese prodidisset, facilè persuasum dedisset, è substantia martis genuina Tincturam coeruleam obtaineri posse. Videri prolixius de Tincturarum Martialium compositionibus possunt, quos plus vice simplici allegavi, Zweiherus, Hoffmannus, Rofincius, Ludovici, Wedelius, Ettmillerus, Febure, Glaserus, aliquæ ll. cc. Conf. quoque Lemery Cursus chym. & Charras Pharm. Reg.

§. XXVIII.

§. XXVIII. Restat ut de operandi modo & usu Tincturarum  
*Martialium* pauca subjungam. Ubi quidem primo loco notari  
 velim, Martemin substantia sèpè quibusvis ex eo paratis me-  
 dicamentis, adeoque & Tincturis præstare, ut multò elegan-  
 tissimum sit judicium *Excell. Ludov. Phar. Mod. p. 417. s. 99.* Cujus  
 sensum huc transferre non abs re erit, modum enim operandi  
 aliaque circa eum observatu necessaria simul tangit. Id verò  
 „dicto loco vult: Polychrestum Martem, cum indubie tum  
 „laxarum ventriculi fibrarum adstrictione, tum potissimum ro-  
 „dentium humorum imbibitione ac sequente hinc orificiorum  
 „ductuumve detersione hypochondriacos levet, & obstructis h.  
 „m. simul conferat, quantum hanc extergendi aperiendique  
 „vim concernit, omnium ferè optimè in limatura cruda exhi-  
 „beri, quæ utut nonnunquam minus tractabilior sit, laevigari  
 „tamen & subtilisari posse, vel sub pilularum formula occul-  
 „tari; ac tum in præfocationibus præcordialibus non tam à  
 „debilitate fibrarum quam positiva humorali causa ortis debito  
 „pondere ad Æj. Æj. exhibitum, satis resolubilem esse nec nau-  
 „seam concitare, quin humorum rodentium inversioni in re-  
 „nitentiori præprimis malo præ aliis quibusvis præparatis, v.  
 „g. Martis vitriolo, alcohol illo per varia menstrua corroso  
 „Cachecticove croco aut limatura cum aceto laevigata aliis-  
 que semiexhaustis, semiinversis, semistringentibus, rædiosio-  
 ribus aptiorem præstantioremque esse, præsertim si subdupla  
 lap. cancrorum, corall. vel similiumparte misceatur, & per ali-  
 „quot dies ejusdem exhibitio continuetur. Hactenus ille. Ni-  
 hilominus & illud certum est, multos ob debilitatem fibrarum  
 ventriculi & intestinorum, obque defectum spirituum animalium  
 crudum martem ægrè ferre, & ab eo exhibito de appetitu dejec-  
 to, dolore stomachi gravativo, &c. conqueri, unde tunc  
 necessarium est, Martem in forma liquida, utpote à stoma-  
 cho facilius resolubili, exhibere. Accedit quod in siccioribus  
 promptius operetur, si liquorem solventem Mars jam secum  
 vehat, quo hypochondriaci perspè non multò prædicti esse  
 solent.

§. XXIX. De Virtute Martis aperitiva illud habendum, eam  
 semper

## 24 DISSERTATIO CHYMICO-MEDICA

semper ferè firmo stare talo, quocunque fere modo is paratus fuerit. Sive enim vis ejus per Vitriolica aut similia salia infringatur, ipsum tamen, quod de salibus in confectione participavit, aptum natum est, vellicatione suâ & irritatione fibrarum fusionis humorum laxationem inducere. Si vero sui juris est tum ultero concessum iri arbitror, eum vim aperitivam nunquam depонere. Unde Tincturis adstringentibus, præprimis si in motu & fluxu humorum præternaturali eo fine adhibentur, nunquam est fidendum. Ut ut laxitates viscerum roborando, v. g. in hypochondriacorum & scorbuticorum laxitate ventriculi, nec non obstrukções vasorum referando, quando itidem ab his haemorrhagiæ in hypochondriacis, cachecticis, quartanariis, observantur, tum & partibus terreis humiditates serosas nimias, à quibus fluxiones oriri possunt, imbibendo, nonnunquam convenient. Illud interim minimè nego, Martem in se non semper aperire, sed ex accidenti persæpè, quando nempe intra corpus assumentus, repertis ibidem salibus sylvestribus acidis & coagulabilibus, à quibus induci solent obstrukções, in ipsum irruentibus & h. m. virtutem suam deponentibus, impletur, quæ etiam salia deinde gravitate sua per alvum educit, excrementorumque colorem idcirco in nigrum vertit, quomodo Etmüller. Chym. L. 11. Cap. 11. p. 104. rem exponit, cui tamen illud concedi neutrum potest, quod p. preced. l. c. afferit, Martem semper adstringere per se. Aperiendi igitur fine & absorbendi in corpore humano Tincturæ martiales non secus ac mars ipse nunquam satis acidos edulcorando & saturando postmodumque eliminando obstruktionum causas tollunt, tum quia Sale Vitriolaceo humores stagnantes incident & attenuant. Vid. & Nobil. Pechlin. Tr. de Purg. p. 283. Quibus expositis vis Martis ejusque Tincturarum aperitiva non potest non esse manifesta. Emeticam Veneris particularum, quæ Marti sæpè sunt admixtæ, dependere persuasus sum. Oriri tamen eadem quoque potest ab effervescentia particularum Martis absorbentium cum acidis humoribus, si quidem eos copiosos in hypochondriacis & scorbuticis,

in primis viis stagnantes reperiant, quod plus vice simplici in Praxi à fortiori usu liquoris Martialis, cum abdominis inflatio- ne & murmure humorumque fluctuatione & fortiori motu, quasi ab assumpto veneno, observatum fuit. De *Diaphorerica* atque *Catarctica* Martis virtute dicere non videtur operæ pretium, quia illud & limites Dissertationis vetant. Quamobrem & illa nunc non possunt attexi, quæ ante vel post exhibitionem Tinctuarum Martialium veniunt observanda, quæ item in unoquoque affectu Martialium usum indicante pro circumstantiarum varie- tate, tum in dosi, tum in vehiculis vel adjuvantibus, tum in diaeta notanda sunt. Quis verò speciatim in hoc illove casu Martialium operandi modus ususve sit, ex his generalioribus, ut opinor, conjici poterit.

§. XXX. Coronidis vice illud Experientissimorum quorun- dam Practicorum effatum adjicere lubet: Qui Martialibus be- nè uti, & ea rectè præparare noverit, is multorum morborum chronicorum & rebellium erit domitor, eosque feliciter & non ita magno negotio extirpere poterit.

OMNIPOTENTI DEO GLORIA.



E P I M E T R A

I.

**R**egeneratio plantarum incineratarum vera nulla datur, & quicquid ab Auctoriis u. g. Kircher. Mund. Subterr. p. 414. sqq. Barth. Att. H. f. n. Vol. I. Obs. 42. Majore de Aerumn. Gigani. Cap. IV. §. 47. sqq. &c. experimenti loco adseritur, merito pro Phantasmate estimandum.

II.

*Signaturarum in facienda Medicina exiguis aut nullus est usus, unde bac in re quoque superstitioni indulget Magnus alioquin Kircherus de Arte Magnet. p. 718. sqq.*

III.

*Vis Antimonii vomitoria Sali Venereo Vitriolico videtur adscribenda; imo non abs re quis omnium Emeticorum regni mineralis virtutem in eiusmodi Vitriolo quaesiverit.*

IV.

*Mars fulminans non est non-ens chymicum.*

V.

*Transmutatio ferri in cuprum, medianibus Aquis Hungarie Vitriolicis non est nuda separatio & precipitatio particularum venerearum ex aquis, sed vera natura ferrea in cupream Metamorphosis, contra Senerti & Rolvincii opinionem.*

VI.

*Inter aquas ardentes referendus Transylvanie mee fons quidam, hanc procul Urbe Media situs, nemini adhuc, quod constet, in literis traditus. Ardet is, si incendatur, flammæ luculentæ, & ligno aliove ignis pabulo injecto ita inflammatur, ut universa fontis aqua vehementer effervescat, aliquot tempore clara limpidaque, terra tamen adspersa & siccata partem salis post se relinquens.*

VII.

*Theriaca coelestis locum commode supplet pauca quadam simplicium bezouardicorum, adstringentiumve extracta, cum Laudano opio mixta.*

F I N I S.